



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

209. Sabbato. Beata Virgo refugium contra vitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

374 *Sabb. Domin. 5. post Pentecost.*

macie vexo. Pugnabo contra eandem modis supradictis. Postulabo perfectam charitatem, quâ proximum propter Deum diligam.

MEDITATIO CCIX.

*Sabbato Domin. 5. post Pentecost.*

*B. Virgo Refugium contra vitia.*

**A**spiciam Divam à vitijis hâc septimanâ consideratis, omnibusque alijs alienissimam. Petam ejus auxilio ab iisdem liberari.

*Conf. 1.* Quomodo vitium quintuplex gulæ, luxuriæ, avaritiæ, iræ, invidiæ, foedum, & deforme rationi contrarium, defectus voluntarius à perfectione hominis, à lege æterna præscripta, & pulchra regula, à Deo ad acquirendum summum bonum inventa, & data, vel absolutè prohibeat, vel impediatur? adeoque à B. Virgine ex toto abfuerit, quæ nunquam ab amore Dei summi boni deviauit: partim propter agnitionem summi boni, partim quia fomite caruit.

*Conf. 2.* Quomodo dicta vitia splendorem, & imaginem gratiæ in me infecerint, amicitiam Dei fecerint refrigerare, Deum disgustarint, animam debilitarint, Dei affectum à me alienaverint, ad mortem disposerint, & quis scit, an non mortem attulerint.

*Conf. 3.* Renovabo proposita totius septimanæ,

*Dominica 6. post Pentecosten. 378*

primanæ, præsertim circa illa vitia, in quibus me sentio magis debilem. Orabo Divam tanquam Mediaticem, per virtutes vitijs oppositas, ut in filio Evæ mutet nomen gulosi, &c.

MEDITATIO CCX.

*Dominica. 6. post Pentecosten.*

*De Acedia*

**A**spiciam vitium Acediæ, somnum vitiosum, prohibitum à Domino, Marc. 13. Petam illud intelligere, & evadere nundinas diaboli. Matth. 13.

*Conf. 1.* Acediam esse tristitiam de bonis divinis, ac spiritualibus, qua propter adjunctam difficultatem mala nostra censemus, & præ incuria ac negligentia ex ipsa tristitia nascente negligimus; & duplex est: altera peccato mortali conjuncta, quâ quis ea, quæ sunt spiritualis profectûs, abominatur, & ardentius, quæ sunt animæ graviter noxia, amplectitur; altera verò est onus animæ, & ex multitudine peccatorum levium, aut passionum immoderantia, distractionum, curarum, procedit, unde spiritualia exercitia universa judicat tristia, & molesta, & cum fastidio ac nausea exercet. Acediam comitantur: odium honorum spiritualium, rancor contra inducentes ad virtutem, torpor

in